



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis  
lesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus  
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1589]**

**VD16 B 1603**

XXXVI. Testimonia Patrum vndecimæ ætatis, Anselmi & Oecumenij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

## CAPVT XXXVI.

Testimonia Patrum XI. etatis, Anselmi, & Oecumenij.

**I**N ætate XI. exorta hæresi Berengariani plurimi ex professo scripserunt de veritate corporis Domini in Eucharistia, vt S. Anselmus, Lanfrancus, Guitmundus, Adelmãnus, Algerus, Hugo Lingonensis, & alij, qui floruerunt ab anno M. ad MC. Eodem seculo scripsisse creditur Oecumenius Græcus. Satis tamen hoc loco erit S. Anselmi, qui sanctitate, & eruditione præ ceteros claruit, & Oecumenij testimonia ponere.

Igitur S. ANSELMVS in cap. II. primæ ad Corinth. exponit illud: *Hoc est corpus meum; Manducate, inquit, quod trahitis, quia hoc est corpus meum. Sensibus quidem exterioribus videtur esse panis, sed sensibus cognoscite mentis, quia hoc est corpus meum, non aliud, sed idem substantialiter, quod pro nobis trahendum tradetur ad mortem.*

OECUMENIVS in cap. II. prioris ad Corinth. Cum sapienter inquit, corpus, & sanguinem memoret, indicat, nequaquam esse hominem, qui sacrificatur, immò ipsum Dominum, & Creatorem. Et infra: *Si sciremus quantus sit, qui sacrificatur est (in altari) nullo alio indigeremus, verum hoc ipsum sacrificium nos redderet.*

## CAPVT XXXVII.

Testimonia Patrum XII. etatis, Euthymij, & Bernardi.

**I**N ætate XII. plurimi quoque de hac re apertissime & fusissime scripserunt, vt Petrus Cluniacensis, Petrus Lombardus, Hugo, & Richardus de S. Victor, Euthymius Zigadenus, S. Bernardus, & alij. Nobis autem satis erit duo testimonia ponere, vnum S. Bernardi pro Latinis, alterum Euthymij pro Græcis.

S. BERNARDVS in vita S. Malachie: *Fuit, inquit, quidam clericus, probabilis, & fertur, & ita, sed fidei non ita: is scilicet in oculis suis præsumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodo Sacramentum, & non rem Sacramenti, id est, solam sanctificationem.*